UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nicolai Revsneri Ivrisconsvlti Therothermae, siue Aqvae Ferinae

Reusner, Nikolaus

Lavingae, 1581

VD16 R 1499

XXCVI. Epitaphium D. Magdalenae Lambergiae Baronissae: nuptae primùm D. Henrico Starembergio: deinde D. Gabrieli Streinio, Baronibus Austrijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12416

Visual Library

O vtinam meritas liceat perſoluere grates:
Sed, dare quod nequeo, Dij LVDOVIC(dabunt.
Carmina promitto memorem teſtantia mentem:
Ne longa pietas excidat iſta die.

XXCIV.

Io. Burccardo ab Anvvey
EQ. & Conſil. VVirteberg.

Qui ſibi, virtutique ſuæ confidit: honores
Promeritos alijs inuidet ille minùs.

XXCV.

Ad Erneſtum à Rotkirch,
EQ. Sil. Camer. VVirteberg.

Fortuna gratum, quando latet, facit:
Si non latet, mox inuidiam creat.
Felicitatis ſic comes inuidia eſt:
Nec clara virtus, hoſte carens ſuo.

XXCVI.

Epitaphium D. Magdalenæ Lambergiæ Baroniſſæ: nuptæ primùm D. Henrico Starembergio: deinde D. Gabrieli Streinio, Baronibus Auſtrijs.

MAGDALIS heroum ſtirps heroina parentum:
Quos LAMBERGA dedit, cognita Marte, (domus:
Claris

Claris nupta viris: STAREBERGI coniugis an-
Poſt mortem STREINI cara marita ſui: (tè:
Sancta fide matrona: animoq́, & corpore pulcra:
Atque miniſtrorum fida patrona Dei:
Tres natos enixa parens, & quattuor vna
Natas: quando patrem fecit vtrumque virum:
Aegra puerperio moritur, cum prole: ſed antè
Quæ nata, & ſimul eſt fonte renata ſacro.
Iamque Deo viuens, ſanctas heroidas inter
Conſpicitur, cœli conſociata thronis.
O quantum eſt bene poſſe mori, & ſic viuere cœlo:
Ne, malè ſi viuas, commoriare diu.

XXCVII.

Ioan. Caſparo Kechlero à Schuandorf EQ.

Quum ſe, IANE, bonum ſimulat malus, effuge: (nam tunc
Peſſimus eſt: & vult cuique nocere magis.

XXCIIX.

Ad Martinum Amelium à Nifernburg I C. & Cancell. Caroloburgium.

Delicias Charitum, Baias, MARTINE, ferinas
Qui vocat: hic vero nomine nonne vocat?
Splendidior vitro, cryſtallo purior vnda
Lucet: & eſt opibus diues abundè ſuis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN